

ratione Congr. concil. pronuntiantis decretum capitis 7, sess. 14, de sacerdotibus in unitate Ecclesiae viventibus intelligendum esse. Sic *Concina*, t. 20. Hæc decisio multis non videtur authentica.

Alii vero communissime affirmant prædictos sacerdotes a communione Ecclesiae etiam notorie et nominative præcisos, in articulo mortis valide absolvere, defectu alterius sacerdotis in unitate catholica viventis: 1º quia præsumendum est Ecclesiam in tali extremitate jurisdictionem supplere; 2º quia ita multi sentiunt doctores, inter quos *Navarrus, Sanchez, Suarez, de Lugo, Soto, Sylvius, Tournely, Billuart, Dens, Ferraris*, etc.; 3º quia hæc sententia in pluribus traditur Ritualibus et a multis admissa est episcopis Gallicanis tempore schismatis anni 1791; 4º quia Pius VI, hac de re consultus, respondit, die 1 aprilis 1794, « non esse improbandam rationem quam inierunt nonnulli Gallicani præsules, qui in articulo vel periculo mortis, Pœnitentiæ sacramentum, quod est secunda post naufragium tabula, a sacerdotibus juratis, ac etiam a parochiis intrusis, recipi posse permiserunt, deficiente quovis alio catholico sacerdote. » *Recueil des Brefs*, t. 3.

Ergo supponit ille Pontifex opinionem quæ stat pro validitate absolutionis esse saltem probabilem, alioquin eam improbasset. Cum autem in necessitate opinione probabili uti liceat, inde sequitur licitum esse et expedire absolutionem ab hujusmodi sacerdote, aliorum defectu, excipere.

Quoniam vero nostra opinio est duntaxat probabilis, si confessione peracta, catholicus occurreret sacerdos, tutius manifeste esset eam iterare.

2º Certum est nullam esse reservationem in articulo mortis, ut expresse declarat Concil. Trid., sess. 14, cap. 7, his verbis: *Verumtamen pie admodum, ne hac ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis; atque omnes sacerdotes quoslibet pœnitentes a quibusvis peccatis et censuris absolvere possunt.*

Auctoritates modo allatæ probant etiam hanc facultatem absolvendi a reservatis in articulo mortis, ipsis similiter

communicari sacerdotibus ab unitate Ecclesiae præcisus, saltem deficiente catholico sacerdote etiam non approbato.

Nota. In omnibus quæ diximus sub nomine articuli mortis comprehenditur etiam probabile ejus periculum, quamvis inter utrumque aliquod existat discrimen. Ita fere omnes theologi, ut videre est apud *Concina, Ferraris*, vº *Jurisdictio*, n. 27, *S. Ligorium*, l. 6, n. 561. Tale autem periculum adesse censetur in prælio, in longa navigatione, si confessarius non sit adfuturus, in partu difficili, etc. In multis diocesisibus id latius, ex speciali concessionem, extenditur. Unusquisque proprio Rituali stare debet.

Queritur an simplex sacerdos, præsentem approbato, moribundum in articulo mortis absolvere possit.

R. Plures affirmant, dicentes Concilium Tridentinum jurisdictionem in articulo mortis omnibus sacerdotibus indistincte conferre, et ampliandos esse favores, odia vero restringenda. Sed communissima est sententia negans, hoc innixa fundamento, scilicet, jurisdictionem ab Ecclesia in sacerdotibus non approbatis suppleri propter necessitatem: porro dici non potest adesse necessitatem si sacerdos approbatus non deficiat, nisi confessionem excipere et absolutionem impertire nolit; vel forte, nisi ægrotus tanta corripitur repugnantia erga approbatum ut conscientiam suam ei aperire nequeat, vel si confessio simplici sacerdoti jam incepta sit quando supervenit approbatus. Ita *Collet, S. Ligorius* et plures alii.

ARTICULUS TERTIUS.

DE OBLIGATIONIBUS CONFESSARI.

Inter obligationes confessarii, aliæ spectant confessionem, aliæ absolutionem, et aliæ sigillum.

§ I. — De obligationibus confessarii quæ spectant confessionem.

Necesse est 1º ut confessarius habeat probitatem; 2º scientiam; 3º prudentiam; 4º ut confessionibus audientis paratum se præbeat; 5º ut pœnitentes prudenter inter-

roget; 6^o ut ignorantes moneat; et 7^o ut contritionem in frigidis et obduratis excitare conetur.

SECTIO PRIMA. — De probitate in confessario necessaria.

Nomine probitatis requisitæ in ministro sacramenti Pœnitentiæ, quam alii vocant bonitatem, duo intelliguntur, videlicet: 1^o status gratiæ justificantis, vel habitualiter existentis, vel recuperatæ per ipsum Pœnitentiæ sacramentum, aut saltem per contritionem perfectam; 2^o eminentia in virtutibus ad munus confessarii rite obeundum necessariis, v. g., in pietate erga Deum, in charitate, compassione et misericordia erga proximum, in sollicitudine erga propriam salutem, etc.

Certum est 1^o statum gratiæ in ministro Pœnitentiæ non necessarium esse ad validitatem sacramenti ut in *Tractatu de Sacramentis in genere*, cap. 5, art. 1, ostendimus.

Certum est 2^o sacerdotem Pœnitentiæ sacramentum licite administrare non posse, nisi sit in statu gratiæ: id constat ex *Tractatu de Sacramentis in genere*, in quo probatur eum qui sacramentum aliquod in statu peccati mortalis scienter ministrat, mortaliter peccare. Sacerdos igitur peccato mortali inquinatus, tot admittit peccata mortalia quot dat absolutiones, quia tot sunt sacramenta ex parte ipsius profanata, ac proinde tot sacrilegia numero distincta. Ita communissime theologi contra paucos qui volunt unicam esse in Deum irreverentiam, si confessiones successive et sine interruptione fuerint auditæ; quia, inquiunt, eadem est actio moralis, sicut actio plura vasa sacra simul furandi. Ino probabile est eum qui in statu peccati mortalis confessionem audit, et absolutionem ob justam rationem differt, vel antequam eam concedat perfecte conteritur, mortaliter peccare; quia magnam ministerii sui partem indigne exercet, et manifesto se exponit periculo aut pœnitentem injuste remittendi, aut sacrilege eum absolvendi.

Si quis tamen improvise ad moribundum vocatus, tempus se recolligendi non habeat, aut bona fide falso credat se perfecte conteri, non peccat absolvendo; *S. Ligorius*, l. 6, n. 617.

Certum est 3^o ministrum sacramenti Pœnitentiæ multis virtutibus pollere teneri ut munere suo digne fungatur, tum ad gloriam Dei promovendam, tum ad proximum recte ducendum, tum ad seipsum inter innumera pericula custodiendum atque salvandum: impossibile est quippe confessarium, de colendis virtutibus Christianis parum sollicitum, eas pœnitentibus efficaciter persuadere, et multa non admittere peccata.

SECTIO SECUNDA. — De scientia in ministro sacramenti Pœnitentiæ requisita.

Certum est aliquam scientiam requiri in confessario saltem ut munere suo licite fungatur: nam officium judicis, medici et ministri sacramenti exercet: at sub triplici hoc respectu aliquam scientiam habere tenetur.

1^o *Ut judex*. Tunc scire debet quæ sit ipsius potestas, pro quo tempore, ad quas personas et ad quæ peccata se extendat; quæ dispositiones in pœnitentibus requirantur, quis dolor, quod propositum non peccandi de cætero; quid sit peccatum, quid non, quæ peccata ex genere suo sint mortalia, quæ venialia; quæ species peccati, quæ circumstantiæ in confessione explicandæ; quandonam peccata multiplicentur numero; quænam obligationem restituendi, aut famam reparandi, vel parti læsæ satisfaciendi inducant; quænam sint reservata et censuram aliquam sibi annexam habentia, etc., etc. Porro hæc omnia scientiam aliquam requirunt. Ergo 1^o.

2^o *Ut medicus*. Eo titulo scire tenetur ea quæ pertinent ad iterationem confessionum, si invalidæ fuerint; ad amovendas occasiones peccatorum, ad tollendos eorum habitus et radices, ad injungenda opportuna remedia, ad desperantes erigendos, pusillanimes confortandos, afflictos consolandos, duos emolliendos et ad compunctionem excitandos.

3^o *Ut minister*, validitatem et honorem sacramenti procurare debet. Necessè est igitur ut sciat quidquid ad debitam administrationem ejus pertinet, scilicet materiam, formam, conditiones in pœnitente requisitas, et denique

regulas in Scriptura, traditione et canonibus Ecclesiae fundatas. Ergo.

Horum autem scientiam comparabit continua Scripturae sacrae meditatione, juris canonici et theologiae moralis studio, librorum spiritualium lectione, virtutum Christianarum exercitatione et assidua orationis mentalis praxi.

Diximus 1^o *aliquam in eo requiri scientiam*; non enim summa necessaria est scientia, sed mediocris sufficit, ea scilicet qua confessarius intelligat quae frequentius accidunt et in difficilioribus prudenter dubitet, ac poenitentem ad doctiorem virum remittat; vel ipse doctiores aut libros consulat, suspensa interim absoluteione, vel etiam aliquando concessa, si poenitens promittat se facturum quod fuerit determinatum.

Major autem vel minor requiritur scientia pro diversitate locorum et personarum: sic major necessaria est eis qui audituri sunt confessiones in civitatibus vel in aulis principum, quam eis qui ministerium suum in pagis vel in collegiis tantum exercituri sunt; major pro audienda confessione presbyterorum quam monialium, etc.

Diximus 2^o *saltem ut munere suo licite fungatur*: vix enim contingere potest ut absoluteio sit nulla defectu scientiae in confessario; quia, supposita materia legitima et forma integra, sufficit, ex communi doctorum sententia, ut minister peccata sub generali notione offensae Dei cognoscat: porro fere impossibile est sacerdotem rationis competentem adeo ignarum esse ut peccata saltem sub hac ratione generali non apprehendat: ergo.

Attamen, aliquo sensu, confessio fieri potest nulla per accidens, defectu scientiae confessario, in duplici casu: nempe 1^o si poenitens mala fide quaerat confessarium qui peccata ipsius non intelligat et conscientiam prudenter iudicare nequeat, quia sufficientes non habet dispositiones ut valide absolvatur; 2^o si inter confitendum advertat confessarium quaedam peccata non intelligere et apertius ea non dicat, quia praeepto divino confessionis non satisfacit. Haec autem potius ad defectum integritatis in confessione referenda videntur.

Confessarii autem qui absque scientia sufficienti tanto muneri se ingerunt, eo ipso mortaliter peccant, et insuper omnes falsae decisiones quas daturi sunt, in eorum perniciem vertentur totque erunt ipsis peccata mortalia.

Similiter gravissime peccant superiores qui facultatem confessiones excipiendi hujusmodi ignaris concedunt, vel concessam non revocant, cum possunt, quia infuita inde oriuntur mala. Ita *Layman, Bonacina, de Lugo, S. Ligorius, etc.*

Excusatur tamen sacerdos ignarus qui ob solam necessitatem confessiones audit, v. g., in periculo mortis, alio capaciore deficiente, vel si episcopus, urgente confessariorum penuria, munus confessiones excipiendi ei cujus ignorantiam cognoscit, virtute obedientiae imponat, et in hoc corrigendus nobis videtur P. *Antoine*; quia longe melius est ut sint confessarii minus docti, sed pii et moribus integri, quam nulli: si bona fide faciant quod in se est, materialiter tantum in falsis decisionibus peccabunt, sacramentum poenitentibus vere contritis valide administrabunt, sicque salutem eorum absque proprio detrimento efficaciter adjuvabunt. Ergo.

Propter eandem rationem, a peccato immunes sunt episcopi et vicarii generales qui, deficientibus magis idoneis, tales approbant sacerdotes. Eos tamen moneant de stricta obligatione quantum possunt ediscendi.

Quaeritur an confessarius distinctam habere debeat singulorum peccatorum notitiam.

R. Necessae est ut singula peccata, dum accusantur, intelligat, alioquin praeeptum de integra confessione faciendi non impletur. Unde confessarius qui, ex notabili negligentia vel ignorantia, peccatum mortale non intelligeret, graviter peccaret; secus si ex inadvertentia, distractione, ob somnum gravantem, cantum, strepitum, linguam impeditam confitentis, etc., aliquod ipsi excidat peccatum; quia praeeptum positivum de integritate confessionis non obligat ad ea quae sunt moraliter impossibilia. Si tamen poenitens advertat peccatum mortale a confessario non fuisse intellectum in sua gravitate, illud iterum

confiteri tenetur : *sequitur ex dictis, ubi de præcepto divino confessionis.*

At non requiritur confessarium habere notitiam distinctam omnium peccatorum, ut satisfactionem imponat et licite absolvat : sufficit ut statum poenitentis moraliter cognoscat.

SECTIO TERTIA. — De prudentia in confessario requisita.

Prudentia est virtus hominem in quocumque statu spectatum recta via deducens, ut nec deficiat, nec excedat, ideoque aliarum virtutum oculus merito dicitur.

Certe dubitari non potest quin talis virtus confessario maxime sit necessaria, quod in concilio Lateranensi IV, can. *Omnis utriusque sexus*, sic exprimitur : « Sacerdos » autem cautus et discretus sit, ut more periti medici su- » perinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, dili- » genter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, » per quas prudenter intelligat quale illi consilium dare » debeat, et cujusmodi remedium adhibere, diversis expe- » rimentis utendo ad sanandum ægrotum. »

Necessaria est ergo prudentia, tum in suscipiendo et interrogando poenitente, tum in dignoscenda et excitanda ejus contritione, tum in satisfactionibus ei injungendis, tum in servando inviolabiliter confessionis sigillo : habenda est ratio ætatis, conditionis, status, sexus ac diversarum poenitentis dispositionum; alioquin scientia vana esset, ipseque zelus plus noceret quam prodesset; unde recte et pro temporibus nostris sic se habet *S. Bernardus*, Serm. 49, in Cantica Canticorum : « Sequitur : *Ordinavit* » *in me charitatem*; omnino necessarie. Importabilis si- » quidem absque scientia est zelus. Ubi ergo vehemens » æmulatio, ibi maxime discretio est necessaria, quæ est » ordinatio charitatis. Semper quidem zelus absque scien- » tia minus efficax minusque utilis invenitur; plerumque » autem et perniciosus valde sentitur. »

SECTIO QUARTA. — De obligatione audiendi confessiones.

1° In articulo vel in periculo mortis, quilibet sacerdos,

etiam non approbatus, deficiente approbato, tenetur sub gravi confessionem moribundi audire eumque sufficienter dispositum absolvere : nam in gravi necessitate tenemur ex charitate proximo succurrere.

2° Parochus et omnis sacerdos habens officium cui annexa est cura animarum, tenetur sub peccato mortali confessiones fidelium sibi commissorum excipere tempore necessitatis et in Paschate; fideles enim ad confessionem in his casibus sub peccato mortali obligantur : porro grave præceptum confitendi pro fidelibus supponit in pastoribus gravem obligationem confessionem excipiendi. Eadem obligatione tenentur vicarii, saltem defectu parochorum, cum ad illos supplendos mittantur.

3° Tenentur insuper audire parochianos quoties hi rationabiliter sacramentum petunt; v. g., ad lucrandum jubilæum, ad honorandum festum, ad proficiendum in pietate, etc. Si tamen nimis frequenter aut intempestive fieret petitio, excusaretur denegatio, quia ipsimet parochi ad id solum quod rationabile est obligantur. *A fortiori* excusarentur si personas devotas quandoque remitterent ut peccatores audirent; imo graviter peccare possunt secus agendo, si omnes audire nequeant; bonus pastor nonaginta novem relinquit oves in deserto, *et vadit quærere eam quæ erravit*, Math. XVIII, 12. Caveant tamen ne pigritia, impatientia, tædio aliisve motivis veræ pietati parum congruis, animas simplices perfectionem christianam excolere cupientes repellant; tunc enim facile mortaliter peccarent.

4° Reliqui sacerdotes approbati confessiones audire non tenentur aliis non deficientibus, nisi confessiones audire inceperint, quo in casu eas perficere debent, saltem ex charitate, ne poenitentes illas iterare cogantur : aliis vero deficientibus, tenentur ex charitate necessitatibus imo et utilitatibus fidelium subvenire.

5° An autem et quantum periculum vel incommodum subire teneatur, sive pastor, sive alius sacerdos, in variis casibus supra expositis, ad ministrandum Poenitentiae sacramentum, deduci poterit ex jam dictis in Tractatu de

Sacramentis, cap. 5, art. 1, § 4, et ex dicendis in *Tractatu de Decalogo* ubi agitur de ordine in charitate servando.

Quæritur an in penuria confessoriorum simplices sacerdotes possint tuta conscientia munus confessarii repellere, cum illud exercere queunt.

R. Testatur *S. Ligorius*, l. 6, n. 623, se apud nullum auctorem de re morali tractantem hoc dubium invenisse discussum: citat tamen libellum auctoris doctrina et pietate commendati, qui expresse docet sacerdotem, ad audiendas confessiones idoneum, sacramentum Pœnitentiæ administrare teneri, quando videt alios deesse confessarios, et ad id se præparare si nondum idoneus sit: refert insuper testimonium *P. Pavone*, e societate Jesu, viri admodum pii et docti, idem docentis; et ipse eidem sententiæ subscribit, dicens sacerdotes a Christo institutos fuisse ut salutem animarum incumbere, docendo et sacramenta præsertim Pœnitentiæ et Eucharistiæ administrando, et ideo in ordinatione sua potestatem remittendi peccata accipere: ergo, saltem in gravi necessitate potestatem sic divinitus acceptam exercere, et ad hoc se habiles reddere tenentur, ne dicatur quod in vacuum gratiam Dei receperint. Unde *Cornelius a Lapide*, in *Matth. xxv*, 18, ubi agitur de eo qui talentum tenuerat absconditum, ait: « Notent hoc » qui ingenio, doctrina aliisque dotibus sibi a Deo datis » non utuntur ad suam aliorumque salutem, ob desidiâ » vel metum peccandi; ab iis enim rationem reposcet » Christus in die iudicii. »

Nec excusarentur hi sacerdotes dicendo se alio modo salutem animarum incumbere, v. g., precibus, adhortationibus, exemplis, etc.; nam in eo genere subveniendum est proximo in quo laborat: non sufficeret dare vestes pauperi fame morienti: ergo nec sufficit docere et exhortari peccatorem sacramento reconciliationis indigentem.

SECTIO QUINTA. — De obligatione interrogandi pœnitentes.

Sæpe accidit ut pœnitentes integre non confiteantur, alii ex timiditate, alii ex verecundia, alii ex mala fide, alii

quia sunt rudes, ignari et in rebus ad salutem spectantibus parum diligentes. In sequenti sectione ostendemus quandoque pœnitentem in ignorantia vel errore relinquendum esse: in eo casu vitandæ sunt interrogationes quæ indirectæ monitioni æquivalent. Tali circumstantia excepta,

Certum est confessarium in his casibus integritatem confessionis aptis interrogationibus procurare teneri, et, si ex ignorantia culpabili vel gravi negligentia id omittat, mortaliter peccare: nam officium iudicis, medici et ministri sacramenti gerit: atqui hoc triplici titulo pœnitentem in casibus supradictis interrogare tenetur.

1º *Ut iudex.* Prudentem enim sententiam ferre non potest, nisi causam integre cognoscat; debet ergo, in quantum opus erit, veritatem aptis interrogationibus exquirere.

2º *Ut medicus.* Nunquid ut prudens haberetur medicus qui, audita declaratione ægroti sibi suspecta et incompleta, sine ulla interrogatione remedia statim præscriberet? Ergo a pari confessarius imprudenter ageret, si pœnitentem aliquod necessarium tacentem non interrogaret.

3º *Ut minister sacramenti.* Eo enim titulo tenetur efficere, quantum in se est, ut sacramentum rite, juxta ipsius institutionem, administraretur: curare igitur debet ut pœnitens integre confiteatur, vere conteratur, satisfacere sit paratus, tum Deo, tum hominibus: porro hæc communitè sine interrogationibus obtinere non potest: ergo. Hæc assertio nostra confirmatur auctoritate concilii Lateranensis IV, can. 21, superius citati.

Quædam interrogationes faciendæ sunt ante confessionem, sed paucae, ne pœnitens offendatur; v. g., querendum est ab ipso a quo tempore ultimo confessus fuerit, an sincere et cum vero dolore cordis, an pœnitentiam sibi injunctam impleverit et a mandatis confessarii non recesserit.

Cæteræ questiones circa ætatem, conditionem, statum, ignorantiam, etc., convenientius fient intra confessionem, data occasione, sicque omnis suspicio levitatis

aut curiositatis vitabitur, quod maxime necessarium est. Patienter audiendus est pœnitens si e interlocutione, increpatione, suspirio aut execratione, sine ullo tœdii, horroris, admirationisve signo; sed benigne intermittendæ sunt quæstiones necessariae ad detegendum numerum, circumstantias et consuetudines peccatorum, nec non obligationes eis annexas, v. g., restituendi, famam reparandi, cum inimicis se reconciliandi, etc.

Aliquando vero faciendæ sunt interrogationes post absolutam confessionem, si nempe judicetur aliquod essentialia fuisse omissum, aut si dispositiones pœnitentis sufficienter non cognoscantur. Caveatur tamen ne pœnitens bene institutus et sincere se accusans, indiscretis quæstionibus absque necessitate fatigetur; non enim summa, sed mediocri et capacitati suæ proportionata diligentia se examinare tenetur: sufficit ergo ut confessarius mediocri sollicitudine eum interroget; nec attendere debet ad integritatem materialem, sed ad eam cujus ille est moraliter capax, et vitare oportet quod sacramentum redderet pœnitentibus nimis onerosum et odiosum.

At si pœnitens sit rudis et a longo tempore non fuerit confessus, interrogandus est ab initio ad finem, percurrendo Decalogum, præcepta Ecclesiæ, peccata capitalia, officia proprii status; ea tantum quærendo peccata quæ hujusmodi hominibus sunt communia, sive contra Deum, id est, contra fidem, spem, charitatem et religionem; sive contra proximum, scilicet contra charitatem et justitiam; sive contra seipsum, videlicet contra sobrietatem, abstinentiam et castitatem, etc.

Quæritur 1^o qua methodo interrogandi sint pœnitentes.

R. 1^o Eos interrogare oportet de iis tantum quæ personæ ejusdem conditionis committere solent, nisi ex speciali declaratione aut responsione videatur aliter faciendum, ne inutilibus quæsitis confessio ipsis fiat odiosa.

2^o Cum experientia constet pueros et simplices peccata sua non fateri, si negativis quæstionibus interrogentur, sæpe juvat statim dicere ubi de peccatis apud eos consuetis agitur, v. g., *Quoties jurasti?* Si hæsitent

in responsione, subjungendum est majorem numerum indicando, v. g., *Centies jurasti, blasphemasti?* etc. Tunc facilius respondent se excusando, et dicendo: *Oh! non toties.* — *Quoties ergo?* addit confessarius: Pœnitens numerum certum vel præsumptum indicat, et sic confessarius veritatem cognoscit.

3^o Quoad peccata contra castitatem, cautissime procedendum est, ne juniores ea doceantur quæ feliciter ignorant: incipiat ergo confessarius a levioribus, quærendo, v. g., quot turpes cogitationes habuerint, quomodo his restiterint; deinde quoties turpia desideria conceperint, quoties verba obscena protulerint, quoties oscula vel tactus leves passi sint aut fecerint: in quibus si reperiantur innocentes, ultra progrediendum non erit. Si autem rei inveniantur circa cogitationes et desideria, paulatim examinandi erunt circa oscula, aspectus et tactus; in quibus si iterum rei sint, interrogandi erunt de opère consummato. At si negent cogitationes turpes et peccata cordis, dum actus externos fatentur, signum est eos non satis intelligere quid sit peccatum internum, et adjuvanda est eorum ignorantia aut verecundia. Et ideo quandoque, cum rudibus, incipiendum est ab actibus externis ut ad internos tutius deveniatur.

Præterea, ut disponantur ad detegenda graviora crimina, præsertim contra castitatem, juvat eos interrogare an socii eos ad turpia sollicitaverint, quoties consenserint. Item a junioribus personis alterius sexus quæ turpia confiteri verentur, quærendum est an turpes cogitationes in mentem venerint, quoties eis consenserint, an se ab aliquo tangi passæ sint, etc. Quoad interrogationes faciendas personis conjugatis, remittimus ad calcem Supplementi nostri ad *Tractatum de Matrimonio*.

Jam vero, ne confessarius sibi vel pœnitenti causa existat turpis tentationis vel scandali, cum dispositionibus sequentibus sollicite curet interrogare: 1^o pie, mentem ad Deum elevando; 2^o pudice, verbis intelligibilibus quibusdam, sed omnino honestis et castitatem redolentibus utendo; 3^o prudenter, ita ut circumstantias omnino ne-

cessarias inquirat, modos autem et circumstantias minus essentielles non scrutetur; præstat enim statum pœnitentis non omnino intelligere quam sibi vel illi scandalum creare; et qui secus faciunt, recte dicuntur contaminatores confessionis, potius quam confessores; 4^o circa alia peccata quæ non sunt contra castitatem, debet interrogare, prout prudentia suggesserit, non solum de opere externo, sed etiam de cogitatione morosa, de desiderio, de scandalo, de omissione, de consilio, etc. Quærendum est a pœnitente an periculo peccandi se exposuerit, an officio suo defuerit: pauci enim ad obligationes status sui attendunt, pauciores de peccatis circa eas admissis se accusant et multo minus se emendant. Denique optimum est quærere a pœnitente sub fine an insuper aliquid conscientiam ejus gravet.

Ut autem magis prosint interrogationes istæ et similes, si quos invenerit confessarius timidus, pusillanimes, aut peccata confiteri erubescerent, excitabit eos, proposita ipsis divina clementia, paterna misericordia, humana fragilitate ipsi nota, inutilitate incertæ confessionis, inviolabilis sigilli obligatione, auxilio eis promisso. E contra, si protervos inveniat et imprudentes, suaviter quidem, sed graviter moneat ipsos non ante hominem, sed ante Deum et Christum Dominum, cujus locum tenet confessarius, sisti, tanquam reos læsæ majestatis diviniæ; Deum non irrideri æternam eorum salutem periclitari, pœnas inferni impœnitentibus, et multo magis sacramento Pœnitentiæ abutentibus esse paratas, etc.

Has interrogandi formulas e Theologia Pictaviensi fere de verbo ad verbum extraximus, quia prudentiæ regulis fundatæ esse videntur.

Quæritur 2^o quid agere debeat confessarius qui novit peccatum quod pœnitens non accusat.

R. Vel peccatum istud cognoscit per alterius confessionem, vel per viam naturalem.

1^o Si cognoscit illud per alterius confessionem, ea notitia uti non potest ad pœnitentem de illo specialiter interrogandum, nisi expressam ab altero obtinuerit licen-

tiam: hoc patebit ex infra dicendis, ubi de sigillo. Debet ergo sistere in interrogationibus generalibus, nisi peccatum sit commune personis conditionis pœnitentis; tunc eum specialiter interrogare poterit de illo peccato, cavendo tamen ne aliquam suspicionem de confessione alterius præbeat.

Confessarius qui audit pœnitentem aliquod peccatum cum altero commissum declarantem, si complicem nondum in confessione audierit, sed auditorus sit, prudenter ageret petendo licentiam illum circa tale peccatum, prout opus erit, interrogandi: tunc in eo casu difficultatem ex negatione peccati sequentem præcaveret. Si vero complicem jam audierit, sinceritatem ejus in suspicionem adduceret, licentiam eum interrogandi petendo, sicque inviolabilitatem sigilli læderet.

2^o Si autem peccatum per viam naturalem cognoscat, v. g., quia transgressionem vidit, aut ex fama publica audivit, de illo specialiter interrogare potest.

SECTIO SEXTA. — De obligatione monendi et erudiendi ignorantes.

Sæpe occurrunt pœnitentes multa scitu necessaria ignorantes; juvat ergo statuere quomodo erga illos agere debeant confessarii. Ignorantia autem versari potest circa ea quæ necessaria sunt ad salutem necessitate mediæ, ut sunt mysteria sanctissimæ Trinitatis, Incarnationis et Redemptionis; vel circa ea quæ necessaria sunt tantum necessitate præcepti. Rursus ignorantia potest esse vincibilis, vel invincibilis.

Certum est 1^o confessarium teneri interrogare et monere pœnitentem quem versari videt aut præsumit in ignorantia vincibili aut invincibili mysteriorum quorum fides explicita necessaria est necessitate mediæ; nam qui tali laborat ignorantia, incapax est absolutionis, ut constat ex damnatione sequentis propositionis ab Innocentio XI: « Absolutionis capax est homo, quantumvis » labore ignorantia mysteriorum fidei, et etiamsi per negligentiam etiam culpabilem nesciat mysterium sanc-

» tissimæ Trinitatis et Incarnationis Domini nostri Jesu
» Christi. » Hæc altera fuit pariter ab eodem Pontifice
damnata : « Sufficit illa mysteria semel credidisse. »
Sive ergo pœnitens monitioni confessarii cedere prævi-
deatur, sive non, monendus est, cum in tali ignorantia
absolvi nequeat. Unde *Benedictus XIV*, const. *Etsi mi-
nime*, Bullarii t. 1, § 12 :

« Sacerdos excipiens confessiones, fixum illud immo-
« tumque animo semper habeat, invalidam esse absolu-
» tionem sacramentalem quam quis ignoranti res necessa-
» rias necessitate medii impertitur, nec posse homines Deo
» per hujusmodi sacramentum reconciliari, nisi prius,
» excussa hujus ignorantie caligine, ad agnitionem fidei
» adducantur. »

Certum est 2º monendum esse pœnitentem qui versatur
in ignorantia mortaliter culpabili veritatum quarum fides
explicita necessaria est necessitate præcepti; quia tali igno-
rantia laborans, absolutione indignus est. Idem dicendum
est, si aliquid mortaliter malum ex ignorantia vincibili
agat, aut in ignorantia officiorum proprii status versetur,
quia non excusatur a peccato. Fieri tamen potest ut circa
quædam officia status ignorantia excuset, saltem a mor-
tali, præsertim ubi mos invaluit, et tunc redit regula
prudentiæ in interrogationibus faciendis.

Notandum est, in hoc et in præcedenti casu, confessio-
nes cum tali ignorantia factas, nullas esse atque iterandas
a tempore quo exstitit ignorantia. Sedulo igitur et pru-
denter interrogandi sunt pœnitentes, quoties datur locus
susplicandi eos aliquid seitu necessarium ignorare. Si veri-
tates creditu necessarias substantialiter intelligant, non
inquietandi sunt circa confessiones præteritas, et si ali-
quas forte in ignorantia olim fecerint.

3º Si autem ignorantia pœnitentis sit invincibilis, vel
tantum venialiter culpabilis, et circa veritates necessarias
necessitate medii non versetur, petitur quid agere debeat
confessarius.

R. Primum omnes fatentur confessarium falsum dicere
et pœnitentis errorem positive confirmare non posse, quia

hoc esset intrinsece malum. Interrogatus ergo, veritatem
aperire deberet, alioquin silentium ejus approbationi er-
roris æquivaleret. Prudenter tamen ultra petita respondere
non deberet, ut recte notat *S. Lig.*, l. 5, n. 616. *His no-
tatis*,

Vel adest spes emendationis, vel non : si nulla spes
emendationis affulgeat, communiter non monendus est
pœnitens : prudentia quippe suadet non facere monitio-
nem quæ pœnitenti obfutura est, efficiens ut deinceps for-
maliter peccet, dum antea materialiter tantum peccaret, et
nullo modo prodesse debet, ut supponitur.

Diximus *communiter* ; nam facienda est monitio, 1º si
prævideatur fore ut resistentia pœnitentis aut ignorantia
ejus brevi cessatura sit, quod ex variis æstimatur circum-
stantiis; 2º si pœnitens bona fide versetur in proxima oc-
casione formaliter peccandi, quia tunc silentium finem
propositum non obtineret; 3º ordinarie, si pœnitentis igno-
rantia bono publico damnum directe inferat, puta si quis
falso credit se esse sacerdotem; 4º tandem communius, si
confessarii silentium in scandalum multorum vergere de-
beat: v. g., si praxis de re illicita apud multos obfirmanda
est. In hoc casu attente pensanda sunt sive bona sive mala
quæ ex monitione vel ex silentio, tum pœnitenti, tum aliis
obventura prævidentur, et minus eligendum est malum.

Si vero spes emendationis in pœnitente affulgeat, vel
aliquod prævidetur secuturum incommodum, vel non :
in posteriori casu, facienda est monitio, *ut patet*; in priori
vero, conferendum est incommodum quod timetur cum
deformitate in peccato materiali existente, et pars quam
prudentia suggesserit eligenda est.

Hinc vir qui nullitatem matrimonii sui ignorat, et præ-
videtur quod monitus, illud non convalidaturus sit, non
monendus est; prævidetur e contra quod illud convalidare
paratus esset, sed uxor obstinate recusabit, et nihilominus
ambo rem secum habebunt, iterum non monendus est, et
tamen absolvendus, quia minus malum est illum in pec-
cato materiali relinquere quam utrumque evidenti periculo
formaliter peccandi exponere.